nequaquam possunt, Et dum non valet excursione rei penetrare quod
conspicit. de repromissione divinae potentiae credat quod audit, Illa ergo
vobiscum fratres karissimi promissa cogitate quae manent. quae vero cum tem
pore transeunt. velut iam dimissa despicite, Ad huius resurrectio
nis gloriam quam in se veritas ostendit. tota intentione festinate.
terrena desideria quae ab auctore separant fugite, Quia tanto alti
us ad conspectum dei omnipotentis pertingitur. quanto mediator dei
et hominum singulariter amatur, qui vivit et regnat cum patre
in unitate spiritus sancti deus per omnia saecula saeculorum amen,

IN illo tempore LECTIO SANCTI EUUANGELII SECUNDUM IOHANNEM
dixit ihesus discipulis suis. hoc est praeceptum meum ut diligatis
invicem sicut dilexi vos, maiorem hac dilectionem nemo habet.
quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, Vos amici mei
estis. si feceritis quae ego praecipio vobis, Iam non dico vos servos quia
servus nescit quid faciat dominus eius, Vos autem dixi amicos. quia
omnia quaecumque audivi a patre meo nota feci vobis, Non vos me
elegistis. sed ego elegi vos. et posui vos ut eatis et fructum afferatis
et fructus vester maneat, ut quodcumque petieritis patrem in no
mine meo det vobis, OMELIA LECTIONIS EIUSDEM HABITA AD POPULUM
IN BASILICA SANCTI PANCRATII DIE NATALIS EIUS XXVII

Cum cuncta sacra eloquia dominicis plena sint praeceptis, Quid est quod de
dilectione. quasi de singulari mandato dominus dicit, hoc est prae
ceptum meum ut diligatis invicem. nisi quia omne mandatum
de sola dilectione est. et omnia unum praeceptum sunt, quia quidquid
praecipitur in sola caritate solidatur, Ut enim multi arboris rami
ex una radice prodeunt. sic multae virtutes ex una caritate generantur,
Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis. si non manet in radice
caritatis, praecepta ergo dominica. et multa sunt. et unum sunt,
multa per diversitatem operis. unum in radice dilectionis,

·III·

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc271/0048